



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

De impedimentis matrimonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

quantum ad matrimonium & denuntiationes. Si tamen sint minus noti, oportet, ut pastor diligentiam adhibeat, ut testimonia adferant de loco, in quo diutius morati sunt: vel in quo magis possunt esse noti.

Dicit etiam Tridentinum Concilium *tribus continuis diebus festiuis*, quod Augustinus Barbofa Congregationis Consultor in Collectaneis suis super Trident. ad sess. 24. cap. 1. de reformat. n. 18. asserit intelligendum de festis, quæ sibi non succedunt immediatè, allegando Aloys. Riccium in aurea sua praxi ecclesiast. rerum p. 1. resolut. 235. aliòsque DD. datâ ratione, ut per dierum intervalla, denuntiationibus deferendis detur mora: aliàs si tribus diebus paschalibus fierent proclamationes trinæ, intentum aut effectus denuntiationum præcipitantiâ præpediretur. Prout ejusmodi dierum vel saltem unius intervallum statuit Synod. Colon. 1662.

Formula proclamandi sponfos.

Sponsalia contraxerunt honestus adolescens Petrus, honesti Joannis Steinman civis in hac urbe filius legitimus: cum virtuosa virgine Catharina, honesti Jacobi Zimmerman incolæ in pago **N.** filia legitima, qui sponsi in præsentî congregatione denunciantur; ut si quis canonicum impedimentum noverit, quod eorum matrimonio obstet, illud loco competente denuntiet.

Si Viduus proclametur, ejusdem patris nomen non additur: si vidua proclametur, dicitur mariti defuncti nomen, addendo quod sit ejusdem vidua.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§. 1.

Dirimentia impedimenta.

EA vocantur, quæ non tantum illicitum faciunt matrimonium, sed & invalidum, quæ quamvis Parochus è Theologia morali, &

Doctōribus scire deberet: Cum tamen in hac materia Parochus, nisi sit benè instructus ac valdè circumspēctus, facile errare possit: idcirco pro majore salubri, ac necessaria cautela visum fuit è re, de impedimentis instructionem adjicere, continentur autem sequentibus versiculis.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affines, si clandestinus, & impos.
Raptâve sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia, facta retra-
ctant.*

Error personæ, si putans se contrahere cum Berta contrahat cum Titia, quia error circa substantiam sive objectum substantiale vitiat omnem contractum: persona autem determinatè cognita contrahenti esse solet primum & substantiale objectum contractûs matrimonialis: ergo error circa personam vitiat contractum; Error qualitatis personæ (excipe servitutem) non irritat matrimonium, ut si putetur esse nobilis, virgo, dives &c.

Conditio servitutis ignoratæ: ut si homo liber contrahat ignoranter cum serva. Notandum tamen non esse propriè servos, qui sunt coloni originarii & adscriptitii, de quibus mentio est in cap. 2. de Judæis, qui ad eò dominis terræ obligati sunt, ut recedere illis non liceat, nisi remissione gratis factâ, aut pretio remissionis persoluto.

Votum, solenne Religionis aut Castitatis (& ex constitutione Gregorii XIII. Pap. in Bulla ascendente domino; vota simplicia in Societate JESU.)

Cognatio, *naturalis, legalis, spiritualis.*
Prima est vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendenti, dirimitque usque ad quartum gradum inclusivè. *Secunda seu legalis* est, propinquitas personæ ex adoptione perfecta, quâ scilicet persona extranea assumitur in filium vel nepotem, & hæc dirimit matrimonium inter adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes usque ad quartum gradum. Notandum autem quod non fit adoptatus, qui ex misericordia tanquam filius alimentatur: debent enim intervenire solennitates juris.
Tertia seu spiritualis cognatio jure ecclesiastico oritur inter perso-

personas aliquas ratione Baptismi & Confirmationis, dirimitque inter baptizantem & baptizatum & hujus Patrem & Matrem, item inter susceptorem & susceptum & hujus Patrem & Matrem. Si patrinus sui loco procuratorem mittat & hic levet. Respondit S. Congregatio Cardinalium: Principalem contrahere cognationem. Si extra casum necessitatis aliquis proprium filium baptizaret, jus petendi debitum conjugale amittit: secus est si id faciat in casu necessitatis, quando videlicet alius non adesset, qui baptizare posset.

Crimen, adulterii cum machinatione mortis alterius conjugis; seu adulterii cum fide data de contrahendo matrimonio post conjugis mortem; seu contractus matrimonii de præfenti cum adultera, vivente altero conjugate innocente.

Cultûs disparitas, scilicet fidelis cum infideli. Matrimonium tamen Catholici cum hæretico validum, sed mortaliter illicitum est. Enimvero experti sumus, ex matrimonio hominis Catholici cum hæretico, tam multa sequi solita incommoda spiritualia, tum ipsi conjugi Catholico, tum liberis, tum Reipub. Christianæ, ut plerumque legi charitatis &c. repugnet. Illud apud omnes in confesso est, si matrimonio Catholici cum hæretica pactum adjiciatur, ut liberorum aliqui, puta masculi patrem fidelem: feminæ verò matrem hæreticam sequantur, impium & irritum esse, quandoquidem ad utrumque pertinet cura liberorum suorum omnes in vera fide ac religione educandi. *F. ab vero cu* Experientia etiam docuit, quod quamvis pacta ineant, quod omnes proles Catholicè educari, & conjugi Catholicæ libertas omnis in religione sua permanendi, ac præcepta Ecclesiæ Catholicæ observandi, permitti debeat, pacta tamen ejusmodi quocunque robore firmata, non adimpleri; idcirco nullus Pastor ejusmodi matrimoniis assistat, nisi à nobis aut nostro Vicario Generali, aut Officiali facultatem specialem in scriptis desuper obtinuerit, taliterque contrahere volentes eò pro facultate remittet.

Vis, scilicet metus cadens in constantem virum, vel ex parte mulieris metus, qui cadat in constantem mulierem, v. g. detrimenti gravis corporalis, nisi consentiat in matrimonium. Talis autem metus non est ille, qui dicitur reverentialis, quando liberi ob reverentiam parentum non sunt ausi contradicere.

Ordo, videlicet unus ex majoribus, in tali ordine contrahens ipso facto excommunicationem incurrit, fitque irregularis, ita ut nec in ordinibus susceptis ministrare, nec ad altiores ascendere possit: in qua irregularitate tamen, post peractam pœnitentiam, dispensare potest Episcopus.

Ligamen, quo quis ligatus est uxori, etiam ante consummationem matrimonii rati, post quod secundum matrimonium contractum est irri-

Matt. 19. irritum. Constatque ex Evangelio ubi Christus dicit adulterium committi, si quis unâ uxore dimisâ, aliam ducit. Si alter Conjux dicatur mortuus in remotis locis, etiam post quancunque temporis absentiam non permittitur conjux ad secundas nuptias transire, nisi certam probationem, cui in iudicio fides adhiberi possit, adferat; super cujus probationis cognitione an sufficiens sit vel non, parochus aget circumspectè, si ad iudicem Ecclesiasticum remittat.

*Trident.
sess. 24. de
reform.
c. 3.*

Honestas, id est conjunctio animorum, quæ oritur ex sponsalibus, ut non solum stantibus, sed etiam dissolutis sponsalibus, cum sponsæ consanguineis intra primum gradum nullam aliam ducere possit. Si verò sponsalia quacunque de causa valida non fuerint, nullum ex eiusmodi sponsaliis invalidis oritur impedimentum.


Ætas legitima in masculo 14. annorum expletorum, in fœmina 12. annorum, ita ut si contrahatur ante, non sit iudicandum matrimonium, sed sponsalia juris interpretatione, nisi essent proximi pubertati, & malitia suppleret ætatem.

Affinis, dicitur ex eo, quod duæ cognationes, quæ diversæ sunt inter se per nuptias copulentur, & altera ad alterius fines accedat: si sit ex copula maritali, dirimit usque ad quartum gradum: ex copula fornicaria autem usque ad secundum gradum inclusivè; nimirum si antecedit matrimonium: nam si superveniat, ut si Titius cognoscat uxoris suæ cognatam in secundo gradu, non dirimit, licet is qui peccavit non possit petere debitum, sed tantum reddere.


Gradus affinitatis seu lineæ accipiuntur sicut in consanguinitate, ita ut qui est uxoris consanguineus in primo gradu sive rectæ, sive transversalis, is sit affinis marito in eodem gradu lineæ rectæ vel transversæ.

Ut autem Pastores faciliori modo cognoscere possint consanguinitatis & affinitatis gradus, eos adiecto schemate & regulis subfervientibus ob oculos ponimus.

Affinitatis Gradus



linea Cognationis Spiritualis



§. 2.

Regulae pro schematis adjecti explicatione, seu ex eo facienda directione.

Prima Regula, in linea recta seu ascendentium seu descendentium, tot sunt gradus quot sunt personarum, unam demptam: sive alio modo: Tot sunt gradus quot sunt generationes usque ad illam personam de cuius cognatione quaeritur. v. g. si quaeratur quoto gradu sit nepos avo conjunctus? Dico avus, filius, nepos, sunt tres personarum, unam demptam, manent duae, ergo duo sunt gradus.

Secunda Regula, in linea collateralis aequali * toto gradu * toto: consanguinei distant inter se, quoto quisque eorum a communi stipite: sic id est. eben so viel.
duorum fratrum filii sunt sibi in secundo gradu conjuncti, quia avus est eorum communis stipes, respectu avi autem uterque est nepos, & sic in secundo gradu.

Tertia Regula, in linea Collaterali inaequali remotior trahit ad se vicinior: id est, quoto gradu remotior distat a communi stipite, toto distant inter se,

Clandestinus, quia Concil. Trident. irritat matrimonia eorum, qui contrahunt aliter quam coram Parocho, vel alio sacerdote ipsius, vel Ordinarii licentia, & duobus minimum testibus, vultque graviter puniri eos qui contra Concilii decretum, contraxerint, vel etiam interfuerint: quis autem sit contrahentium Parochus dictum est supra in §. de Denuntiationibus paulo post initium pag. 131. Trident. sess. 24. c. 1. de re-form.

Vagabundi non sunt jungendi, nisi praemissa diligenti inquisitione de eorum conditione, & re ad ordinarium delata atque ab eodem, id faciendi, impetrata licentia. Trident. sess. 24. c. 7 de re-form.

Cum autem antedicta clandestinitas, videlicet si absque contrahentium parochi & duorum testium praesentia matrimonium contrahatur, dirimat matrimonium, seu illud invalidum ac nullum reddat ex jure Concilii Tridentini, idcirco quaestio illa quam Theologi morales dum de hac materia tractant, silentio pertranseunt, Parochis perutilis, hic inseritur.

§

§. 3.

ms.
Sup.
itur
nabu

§. 3.

*In quibus locis Concilium Trident. sit
receptum?*

Quæstio hæc non est eò intelligenda, quasi ab acceptatione populi, legum Ecclesiæ valor dependeat, qui est error Politicorum: cum potestas spiritualis à solo Deo immediatè concessa sit summo Pontifici, commissaque Ecclesiæ, nec in laicos cadere valeat juxta præsentem Dei ordinationem, secùs ac potestas temporalis, quæ à populo in Principes translata est: sed quod benignissima Mater Ecclesia de totius Christianitatis consilio edita, atque à cunctis Oratoribus & Patribus præsentibus subscripta, suaviter insinuare voluerit, non ægrè latura, si quæ particularis Ecclesia, Natio vel Provincia ob particulares ac rationabiles antiquos mores suos, vel etiam publica de causa, pro moderatione quapiam aut remissione, apud S. Sedem Apostolicam esset instatura: ut patet, quod ob publicum Ecclesiarum bonum inclitæ Nationi Germanicæ, prærogativæ ac dispensationes sint indultæ. His præmonitis ad quæstionem, Respondetur.

Treviris Anno 1569. 19. mensis Aprilis, quæ erat tertia dies à solennissima Consecratione E.^{mi} & R.^{mi} Archi-Episcopi Jacobi ab Eltz piiss. mem. Concilii Tridentini, fidei Catholicæ conservatoria, Ecclesiasticæ & Monasticæ vitæ, & clandestini matrimonii reformatoria decreta, sunt publicata & recepta.

In Moguntina diœcesi Anno 1662. in omnibus parochiis receptio de cathedris publicata, valvis Ecclesiarum affixa, & protocollis judicialibus inserta est.

In Coloniensi diœcesi, eodem anno 1662. die 20. Martii in synodo diœcesana, cum ante non esset in omnibus ad diœcesin pertinentibus locis Tridentinum Concilium de reformat. matrimonii clandestini publicatum & receptum, E.^{mi} & R.^{mi} Archi-Præsulis Maximiliani Henrici communi decreto promulgatum & acceptatum fuit.

In

In Germaniæ ulterioribus locis, videlicet in provinciis hæreditariis serenissimæ domûs Austriacæ: in diocæsibus Argentinensi, Augustana, Bambergensi, Herbipolensi, Leodiensi, Osnabrugensi, Salisburgensi, Spirensi, Wormatiensi &c.

In Gallia Anno 1615. in generali Conventu Gallicani Cleri, regnante Ludov. XIII. communi decreto receptum est.

In Hispaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Lusitaniæ, Poloniæ, Siciliae regnis, in Belgio: apud Italos & Venetos &c.

Hinc attentis formalibus decreti Trident. supra ad explicationem verbi **Clandestinus &c.** allegatis, judicari facile potest, quod eorum matrimonia nulla sint, qui sine dimissoriis, aut licentiâ parochi, coram alio, qui pastoralis jurisdictione in contrahentes est destitutus, vel etiam coram suo parochio absque testibus contrahere præsumunt. Irritum etiam Sac. Congregatio Card. interpretum anno 1627. die 14. Augusti, ad expositionem Archi-Episcopi Coloniensis, declaravit, matrimonium incolarum tam masculorum quam foeminarum loci, in quo Concilium Trident. in puncto matrimonii est promulgatum, si retinendo domicilium idem, transeuntes per locum in quo Concilium Trid. non est promulgatum, sine parochio & testibus contraxerunt. Quos clandestinitatis casus in matrimonio, si Pastor extra forum internum, repererit, Ordinario suo ad pœnam in decreto Concilii statutam denunciabit, urgebitque ad matrimonii nulliter contracti ac irriti revalidationem; si verò in foro interno seu confessionali sede intelligat, atque à confitente consulatur, vel si viderit matrimonium ob defectum consensus alterius conjugum esse nullum, circumspectè ac prudenter faciet revalidari: Aut si obster impedimentum, super quo dispensatio sit impetranda, eam taceretò pro ejusmodi foro requiret, obtentâque docebit renovari consensum verbis aut signo externo, omni curâ sollicitus, ne in casu quo conjux nullitatis ignarus, eam intelligens, fortè revalidationem fugiat, libertatemque suam cum scandalo & incommodis gravibus amplectatur.

Impos. videlicet si coire nequeat, quod impedimentum adversatur matrimonii naturæ, in quo traditur mutua corporum potestas ad generationem & copulam carnalem, quam potestatem impotens tradere nequit. Est autem impotentia vel ab intrinseco, seu vitio naturæ, & vocatur frigiditas in masculo: vel ab extrinseco, operâ hominis vel diaboli. Ulterior est impotentia in viris quando sunt eunuchi, quorum matrimonia, si sint ex utraque parte spadones, speciali constitutione nulla & irrita declaravit Sixtus V. Anno 1587. Impotentia autem ut dirimat matrimonium, debet esse antecedens matrimonii contractum, & perpetua; daturque ad experiendum à jure tempus triennii.

Raptus, per quem persona cum violentia abducitur, libidinis exercendæ,

cedæ, vel matrimonii ineundi causâ; Durat autem hoc impedimentum secundum Trident. Concil. quamdiu rapta est in potestate raptoris, etiamsi liberè consentiat. Unde si persona restituatur libertati, duci potest.

§. 4.

Impedientia impedimenta matrimonii.

EA vocantur quod cum iis non fiat licitè contractus matrimonii: factus tamen non invalidetur; sunt autem præter peccatum mortale, & excommunicationem, potissimum sex ejusmodi & reddunt matrimonium mortaliter illicitum; scilicet.

*Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum;
Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum;
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Vetitum primò dicitur, id est prohibitio Ecclesiæ, quæ fit ab Episcopo vel Parocho, ob dubium impedimenti alicujus vel inhabilitatis inter copulandos.

Tempus feriarum quod incipit ab adventu Domini usque ad Epiphaniam inclusivè; & à die Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè: quibus tamen temporibus non prohibetur contractus aut consummatio matrimonii, minùs denuntiationes, sed tantum solennitas nuptiarum, v. g. benedictio, deductio sponsæ solennis ad domum sponsi, convivia nuptialia &c.

Catechismus, quod impedimentum contrahitur ab eo qui respondet pro infante, quando suppletur cæremoniæ post baptismum collatum in necessitate. Sed videtur hoc impedimentum jam sublatum.

Crimen, ut primò incestus cum consanguinea conjugis in primo vel secundo gradu, scienter admittus (qui impedit matrimonium cum quacunque alia persona) vel cum propria matre aut filia; 2. raptus alienæ personæ. 3. uxoricidium. 3. presbytericidium. 5. susceptio propriæ prolis ex baptismo, ad impediendum debiti conjugalis redditionem. 6. publica pœnitentia, quamdiu durat. 7. matrimonium cum Moniali. Verum per non usum sunt hæc sublata.

Spon-